

consensumque præstandi requisitum, ut archiconfraternitatibus aggregentur. Has quæstiones propositas Sacra Indulgentiarum Congregatio in opinionum varietate definire noluit, sed constituit, ut vicarii capitulares ab his peragendis absterent, quia, ut videtur, tum confraternitatum erectio in diocesium regimine res maximi est momenti, tum facili modo differri potest in tempus futuri Episcopi.

Causa proposita Congregationis Pretiosissimi Sanguinis est sequens :

I. *Potestne Vicarius capitularis erigere confraternitates, ita ut erectio sic peracta canonica sit?*

II. *Utrum Vicarius capitularis possit valide concedere litteras testimoniales, ac consensum requisitum a Clemente VIII pro aggregatione confraternitatum?*

III. *Utrum Vicarius capitularis possit approbare statuta confraternitatum?*

In congregatione generali die 15 Nov. 1878 Emi Patres rescripserunt : Ad I, II et III. *Vicarius capitularis se abstineat.* Quam resolutionem Sanctitas Sua 23 Nov. 1878 approbavit (1).

#### CAPUT XXIV.

##### DE CESSATIONE OFFICII VICARII CAPITULARIS.

###### § 1. *De capitulo, si Vicarius capitularis negligens vel inhabilis fiat.*

I. Vicarius capitularis, legitime constitutus, per capitulo removeri vel revocari non potest, ut dictum est cap. XIX, § 7.

Si negligens fuerit, capitulo se gerit, sicut in simili casu ageret erga Episcopum, ut dictum est cap. XVII, §§ 1 et 2.

Si Vicarius ob ægritudinem similemve causam inhabilis fiat, capitulo eum humaniter inducere potest, ad adsciscendum vicarium socium in ecclesiæ regimine; vicario autem renuente, capitulo per se jus non habet, ei alium virum adjungendi, qui opem adjutricem illi præbeat, ut dictum est cap. XIX, § 6; sed prout circumstantiæ exigunt, ad Sedem Apostolicam recurrere potest ac debet; et in hoc casu agere valet et tenetur, quod ipsa præscribere voluerit.

(1) Acta S. Sedis vol. XI, fol. 353.

###### § 2. *In quibus casibus cessat officium vicarii capitularis.*

1° Cessat per mortem ipsius vicarii.

2° Cessat per spontaneam vicarii capitularis renuntiationem, qui muneri suo renuntiare valet (1), quin necesse sit, eam renuntiationem admitti (2).

3° Cessat per remotionem vicarii capitularis ab officio, factam a S. Congregatione Concilii vel Episcoporum (3). In hoc tamen casu non statim concludendum est, ejus acta esse invalida, ut enim revocatio effectum habeat, vicario intimari debet, et ejus gesta tamdiu sunt valida, quamdiu revocatio publice ignoratur (4).

In his tribus casibus jurisdictio revertitur ad capitulo, quod intra octo dies a notitia mortis, renuntiationis aut remotionis, et juxta easdem regulas, ad novam vicarii capitularis electionem procedere valet et debet, sicut statuitur in VI Decretalium lib. 1, tit. VI, c. XXVI : *Si electio ex eo non sortiatur effectum, quia electus consentire recusat, vel post consensum renunciat juri suo, aut forte diem claudit extremum, seu propter occultum ejus vitium irritatur : electores (qui jam fecerant, quod spectabat ad ipsos, intra juris terminum eligendo) habebunt a dissensu, renuntiatione, morte, vel irritatione prædictis, ac si vacatio nova esset, tempus integrum ad electionem aliam celebrandam : dummodo nil fraudulentè egerint in præmissis* (5). Exceptio tamen facienda est, si in casu revocationis Sacra Congregatio mittat seu deputet vicarium Apostolicum, ad gerendam ecclesiæ vacantis administrationem, in quo casu capitulo vicarium amplius eligere non valet.

Similiter si vicarius capitularis, per Metropolitanum vel vicariorem Episcopum ob capituli negligentiam vel malam electionem deputatus, moriatur, renuntiet aut removeatur; capitulo infra octo dies novum eligere potest, quia pro prima tantum vice jus amisit (6).

(1) Litteræ Apost. SS. D. Pii IX *Romanus Pontifex* 1873 quinto kalendas Septembris; De Angelis, Prælet. jur. can. lib. 1, cap. 28, n. 23.

(2) De Angelis ibidem.

(3) De Angelis loco cit. Lucius Ferraris *Vicarius capit.* art. 1, n. 57 et 58.

(4) Hermes cap. IX, § 2.

(5) Litteræ Apost. SS. D. Pii IX *Romanus Pontifex* supra sit.

(6) Lucius Ferraris *Capitulum* art. III, n. 57; Monacelli Formularium tit. 1, form. 2, annot. 6; Bouix p. 5, sect. 1, cap. XV, § V.

4° Cessat, quando novus Episcopus litteras Apostolicas accepit, easque capitulo ostendit, ut sequente § dicetur.

5° Num cesset, sit vicarius capitularis electus vel nominatus fuerit ejusdem ecclesiae Episcopus, controvertitur, ut dictum est cap. XIX, § 3 ad III.

§ 3. *De cessatione officii Vicarii capitularis per nominationem novi Episcopi.*

Vicarius capitularis officium suum libere et valide exercere pergit, donec novus Episcopus Apostolicas canonicae suae institutionis litteras capitulo exhibuerit; cessat autem ejus officium, quam primum novus Episcopus easdem litteras Apostolicas de collato sibi Episcopatu capitulo exhibuerit. Non sufficit, si istae litterae canonicis singulariter exhibeantur, sed requiritur, ut capitulo ostendantur, et in debita forma, ut notat De Angelis (1).

Probatur ex Constitutione Bonifacii VIII, Extravag. comm. lib. 1, tit. III, de Electione cap. 1, *Injunctae*, in qua statuitur; “ Praesenti itaque perpetuo valitura constitutione sancimus, ut  
 ” Episcopi et alii praelati superiores, nec non abbates, priores et  
 ” ceteri monasteriorum regimina exercentes, quocumque nomine  
 ” censeantur, qui apud dictam Sedem promoventur, aut confir-  
 ” mationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad  
 ” commissas eis ecclesias, et monasteria absque dictae Sedis litteris  
 ” hujusmodi, eorum promotionem, confirmationem, consecratio-  
 ” nem, seu benedictionem continentibus, accedere, vel honorum  
 ” ecclesiasticorum administrationem accipere non praesumant :  
 ” nullique eos absque dictarum literarum ostensione recipiant, aut  
 ” eis pareant vel intendant. Quod si forsam contra praesumptum  
 ” fuerit : quod per episcopos, praelatos, abbates, priores, et alios  
 ” monasteriorum regimina exercentes praedictos medio tempore  
 ” actum fuerit, irritum habeatur... Capitula vero et conventus  
 ” ecclesiarum et monasteriorum ipsorum... ipsos absque hujusmodi  
 ” dictae Sedis litteris recipientes, vel obedientes eisdem, tamdiu  
 ” sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super  
 ” hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere. ”

Probatur 2° ex litteris Apostolicis Pii IX *Romanus Pontifex*

(1) Loco cit. lib. I, cap. XXVIII, n. 23.

1873 quinto kalendas Septembris, in quibus declaratur et decernitur, vicarium capitularem, rite constitutum *in officio permanere, quousque novus Episcopus litteras Apostolicas, de collato sibi Episcopatu, capitulo, juxta Bonifacii VIII Constitutionem* (1) exhibuerit... *vicarius capitularis officium semel sibi rite collatum, toto tempore, quo sedes Episcopalis vacua fuerit, totamque ordinariam jurisdictionem Episcopalem libere et valide exercere perget, donec novus Episcopus Apostolicas canonicae suae institutionis litteras, ut diximus, exhibeat.*

Haec doctrina, ut liquet, certa est. Relinquendi igitur sunt auctores qui contrarium tenentes, putant jurisdictionem vicarii capitularis expirare statim post provisionem Apostolicam, eamque attribuunt Episcopo nominato et confirmato ante litteras Apostolicas capitulo exhibitas (2).

§ 4. *De ratione reddenda per vicarium capitularem.*

Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XVI de reform. statuit :  
 “ Episcopus ad ecclesiam vacantem promotus ex iis, quae ad eum  
 ” spectant, ab eisdem oeconomo, vicario et aliis quibuscumque  
 ” officialibus et administratoribus, qui sede vacante, fuerunt a  
 ” capitulo vel ab aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex  
 ” eodem capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, admi-  
 ” nistrationis, aut cujuscumque eorum muneris; possitque eos  
 ” punire, qui in eorum officio seu administratione deliquerint;  
 ” etiamsi praedicti officiales, redditis rationibus, a capitulo, vel a  
 ” deputatis ab eodem, absolutionem aut liberationem obtinuerint. ”  
 Vicarius igitur capitularis rationem administrationis muneris sui Episcopo reddere tenetur; et Episcopus rationem a vicario capitulari exigere debet; imo hoc scienter et negligenter omittens, secundum plures doctores graviter delinquit, quia Concilium Tridentinum non consulit aut hortatur, sed ei praecipit et imperat, ut *rationem exigat* (3).

(1) *Injunctae* de Electione inter Extravag. comm.

(2) Bouix p. V, sect. III, cap. VI, § 1.

(3) Monacelli p. III, tit. 1, formul. 41, adnot. 1; Lucius Ferraris *Episcopus* art. VI, n. 13 et 14; Bouix p. 5, sect. III, cap. VI, § III.